

Mr. 259

Z c
6433

Oratio PANEGYRICA
 In festivam & solennem introductionem
 MAGNIFICI RECTORIS
 ACADEMIAE LIPSIENSIS,
CHRISTOPHORI
MEURERI

Philosophiæ & Medicinæ Doctoris, Mathema-
 tum Professoris & Physici ordinarij,
habita XXI. Novembr.

ANNO CHRISTI

I 6 0 9

Universitatis

2 0 0
I U B I L Æ

BIBLIOTHECA
PONICKAVIANA

D. Christophoro Brunone, facultatis
 Medicæ Seniore & Profess.

LIPSIÆ

Apud HENNING, GROS. junior.
 Bibliop.

Anno 1610.

*de ejus
vita*

X 2054836



AMPLISSIMIS A C CONSVLTISSIMIS
VIRIS, Dn. THEODORO MÖSTELIO I. U. D. ET ELE-
ctorali Consiliario, nec non Dn. IOH. PEILICHIO, Reip. Lips.
Coss. ejusdemq; Scabinatus Assessoribus dignissimis, Compat. &
Affin. suis plurimum honorandis.

Dostquam è tenebris in publicum sese committere,
aliorumq; censuras & iudicia subire, intrepidè constituisset
oratio mea, confestim sollicitus esse cœpi de clypeo, cuius bene-
ficio malevolorum calumnias venenatarumq; linguarum im-
provisa tela vel avertere, vel sine vulneris periculo excipere
posset. Statim enim istam mecum inij rationem, Culpatores & Momos, qui
etiam ab optimis quibusq; operibus manus abstinere nequeunt, huic quoq; scri-
pto, suis navis non destituto vim illaturos. Ideoq; cum succos & herbas, quibus
alios morbos curare novi, huic malo non fore sufficientes facile colligerem, à
V. V. A. A. protectionem magis accommodam impetrandam existimavi. Quod
propositum meum robur ex eo accepit, quòd Magnifico nostro Reçtori, cuius lau-
des recensui, ab Ampliss. Senatu totius civitatis circa morbos curam & inspecti-
onem commissam, & ob id nomen ipsius apud V. V. A. A. magnum & carum
esse sciam, eaq; de caussa meam commendationem non ingrati fore confidam;
præcipuè, si illum esse, qui tertium Academia nostra seculum cum secundo con-
iunxerit, seq; in id tempus reservatas, ut hac felicitate perfrui contigerit, cogi-
taverint. Hanc itaq; inauguralem orationem ut A. A. V. V. lætâ fronte suscipi-
ant, recto oculo legant, suoq; patrocinio tueantur, etiam atq; etiam rogo,
& pro amicitia lege contendo. Faciet Magnif. Dn. Reçtor, nec ego deero, ut
benevolentiam istam debita gratitudine promptissimisq; officijs recompen-
semus. B. V.

V. V. A. A.

Studiofis.

D. Christophorus Bruno
Comp. & Affin.



ORATIO.



Vamvis, Magnifice Dn. RECTOR, viri omnium ordinum ac dignitatum præstantissimi, honoratissimiq; vosq; juvenes generis ac virtutis nobilitate conspicui, omniumq; doctrinarum laudibus ornatissimi; Quamvis, inquam, aliàs solennis ista, moribusq; nostris receptissima, celeberrimæ huius Academiæ panegyris hodierna rationibus suis non sit destituta, nec ego quenquam studijs addictum, à conversatione nostra adeò alienum, & à collegijs nostris tantopere abhorrentem esse existimem, qui vel temeritate vel arrogantia quadam modò nos huc confluisse sibi persuasum habeat: (Non n. venerandæ tantùm antiquitatis, cui omnis sapientiæ ac doctrinæ fontem ac originem nemo non acceptum refert, præclarissimum habemus exemplum; verùm etiam statuto, cujus ab observatione ne latum quidem unguem discedere, jurisjurandi, quamprimum studiosorum numero recepti sumus, præstiti, & officij ingressu repetiti, religione prohibemur, idem cautum reperitur. Cui & hoc accedit, quòd hac ratione testatum facimus studiosæ juventuti, provinciam hanc non viris minùs idoneis, prout fors eos objecerit, ut quosdam imperitos ac publicæ pacis turbatores autumare novimus, sed optimo cuiq; , de quo tota universitas bene sperat, Electorum maturo & à supremo numine pre-

cibus exorato consilio demandari, ut eum omnes subditi, tanquam in illustri positum, ut Livij verba huc accommodem, intueantur, ut inde sibi, quod imitentur, capiant, inde foedum inceptu, foedum exitu, quod vitent.) Hæc tamen concio novis & exquisitioribus nititur rationibus, ut si antehac nunquam tale quippiam tentatum vel actum esset, exigente hoc tempore, in laudes Magnifici nostri Rectoris passis velis feramur, ipsiusq; commendationi semihorulam tribuamus. Talem enim nunquam vidimus, nec nos visuri sumus, de liberis etiam nostris desperamus, Nepotibus, ut simili felicitate fruantur, vix à fato concessum iri existimantes. Iste enim est, qui feriem hanc Rectorum, licet varijs exterorum hostium insultibus, alijsq; quamplurimis periculis expositam, ad numerum quadringentesimum salvam & immotam deduxit, alteriq; Academiae nostræ seculo colophonē feliciter imposuit, simul tertio, non secus ac bifrons aliquis Janus novum annum cum veteri jungens, annuente DEO, principium daturus. Etiam si nunc igitur nihil magis habeam in votis, quam ut hæc vices alicui viro, cui Musa magis ore rotundo loqui dedit, impositæ fuissent, ut oratione politiore Magnifici nostri Rectoris vitam ad posteritatem transmittere, & futurum seculum auspicatoris legendam proponere potuerit: Attamen excusatione mea locum non inveniēte, amicitiae nostræ jura præponderare debuisse existimavi, Nominisq; ac famæ solatium è varijs Encomiorum generibus, ex gravibus Rhetorum eloquentissimorum concionibus, ex nunquam interituris carminibus in ipsis jubilæi nostri solennibus recitandis, Rectori nostro sperandum reliqui.

Quod itaq; nunc instituti nostri proprium est, exordiamur

diamur & ad Magnifici nostri Rectoris commendationem accessurum. *Est* a, vita ipsius non tantum ex præclara functione, verum etiam ex oratione celebri Domini *Zacharia Schilteri* p. m. Theologiæ Doctoris, & quondam Professoris apud nos vigilantissimi, & dum in vivis erat, omnibus exoptatissimi, die Aprilis vigesima, anno Christi nati millesimo quingentesimo nonagesimo secundo, sub initium primi regiminis habitâ, satis superque clareat, ut singulari meoq; inprimis præconio indigere non videatur; quia pleraq; tamen ex vitæ consuetudine & usu quotidiano mihi magis exploratè cognita sunt, paternas virtutes & alienas breviter tantum & proprias saltem ac in nostrum Rectorem Magnificum è lim-pido illo fonte derivatas, succinctè prædicabo.

Parentem habuit Magnificus Dominus Rector Dominum *Wolfgangum Meurerum* Philosophiæ & Medicinæ Doctorem & utriusq; in hac Academia professorem celeberrimum, Collegij facultatis medicæ Decanum dignissimum, Senatorem hujus civitatis honoratissimum, Virum dignitate, pietate, candidi pectoris sinceritate, vitæ morumq; gravitate, selectissimarum doctrinarum copiâ, inprimis Græcæ linguæ peritiâ, multiplici rerum usu & experienciâ, veneranda canitie, honoribus, autoritate & meritis in utramq; huius urbis Remp. amplissimum, præstantissimumq; & quanquam ab alijs quoq;, ut Domino Magistro *Bartholom. Valthero* sanctæ memoriæ copiosa & proluxa oratione typis excusâ, cui suavitatem suam multasq; laudes infarsit, Academia illa nostræ Pitho, Dn. M. *Iohan. Fridericus* historiæ sagacissimus explorator & professor, compater meus colendus, nec non à prænominato Dn. D. *Schiltero* p. m.

oratione tum temporis quoq; evulgatâ, præclara præconia illi tributa sunt, nunquam tamen satis laudatum. Cui tametsi humana contigerint, ut animam superis; & terræ corpus tradiderit, ex hac turba & colluvione in coelestem Academiam, luce & lætitiâ plenam translatus fuerit, vivet tamen, quandiu Academia vixerit, & fama, nomen, & honor ejus apud nos nunquam interitura sunt.

Mater Magnifico nostro Rectori fuit *Margaretha*, filia Dn. *Christophori Blasebalgij*, viri itidem ex familia in hac urbe famigerabili & antiquissima oriundi, cujus laudes, ut & aliorum, à quibus ortûs sui initium ducit, vel sanguinis affinitate conjunctos habet Magnificus noster Rector, si recensere velim, non tantum breve hoc tempus ad perorandum mihi concessum subito è manibus elaberetur, sed etiam oratio mea, quam solius Rectoris nostri virtutibus attribui, sine suo destitueretur. Ideoq; hic abrumpo & amantissimos Dominos auditores absolutissimam Rectoris nostri Magnifici laudem sitientes, ad prædictas orationes in lucem emissas remitto, & ad vitam commendationemq; Rectoris propriam me recipio. Non a. opus est, ut pueritiæ tempus percurram, quantosq; id ætatis sudores, ardentissimâ discendi cupiditate per-motus, pertulerit, enarrem, cum ethnicis etiam Deum illos ante virtutem posuisse & sine labore & amore nihil egregij mortalibus concedi, nemini ignotum esse possit, vel debeat. Fundamenta siquidem eruditæ doctrinæ jecit in publica pietatis, virtutis & eruditionis officina ad Divum Nicolaum, sub disciplina M. *Sebastiani Röseleri*, à *Camerario*, & *Meurero* nostri Rectoris Magnifici parente, utroq; Academiæ & urbis hujus lumine fulgentissimo, in liberalibus artibus instructissimi, nec non Dn. *Io-*
hannis

hannis Oluvini I. V. Doctōris felicis recordationis *Rö-
seleri* tum collegæ & postea in ejusdem ludi publici gu-
bernatione successoris dignissimi. Privatâ etiam operâ
usus est *M. VVilhelmi Hildenij* viri ingenio non minùs,
quàm eruditione præstantis. Progressus itaq; fatis feli-
ces & optatos cum optimus parens cerneret, nullis sum-
ptibus ac laboribus, quo non tam bonorum ac fortunæ,
quàm morum ac virtutis hæredem relinqueret, pepercit,
filiumq; ut in studijs inceptis calcar adderet, Academi-
cas habenas *Victorino Strigelio*, viro æternæ memoriæ,
moderante, in commune studiosorum album referri cu-
ravit, qua dignitate ne se indignum gereret Magnificus
noster Rector, tanta felicitate ac diligentia omnes artes
ætati suæ idoneas didicit, ac animo comprehendit, ut quã-
primum ad annos pubertatis, quibus Sacramentum licitè
dici consuevit, provectus fuerit, hoc quoq; vinculo ob-
stringi & coram *Dn. Michaële VVirth* facultatis juridi-
cæ Ordinario, viro omnibus nominibus ac titulishono-
rando, scholastica sceptrâ tum temporis tenente (id quod
factum anno supra millesimum quingentesimum septua-
gesimo quarto, quiq; Magnificus vir de tota hac Acade-
mia præclarissimè quotidie merens, exceptis duobus vi-
ris clarissimis, *Dn. D. Balthasaro Gitlero*, facultatis Me-
dicæ nostræ Decano amplissimo, Rectore hujus scholæ
primùm anno millesimo quingentesimo sexagesimo sex-
to, ac *Dn. D. Amando Pfistero* amplissimæ facultatis ju-
ridicæ seniore, Rectore & ipso primùm anno supra mille-
simum quingentesimum septuagesimo primo: Dei be-
neficio senior superstes est, ex ijs, qui Academiæ hujus
fasces cum laude singulari gesserunt, reliquis omnibus in
Domino hætenus consopitis) Magnificus inquam *Dn.*
Rector

Rektor noster honestioribus disciplinis se planè devotum & mancipatum esse, testatum facere voluit. Neq; spe sua deceptus est. Preces enim laboribus adjunctæ tantum valere apud DEUM, ut eas dignitatibus & honoribus cumulatissimè remuneratus fuerit. Nam anno ætatis vicesimo primam in facultate philosophica lauream, unà cum amplifs. & consultifs. viro Dn. *Theodoro Möstelio* I. V. D. & hujus reipubl. Cos. meritissimo alijsq; decem & septem viris cultissimis, quos omnes præter hæc duo lumina naturæ decessisse compertum est, unanimiter consentientibus censorum suffragijs, adeptus est; triennio post supremâ in artibus laureâ coronatus & philosophiæ Doctor publicè renunciatus est. Quem honorem ubi reportavit, non statim, ut plerumq; à juvenibus fieri solet illi disciplinæ repudium misit, sed licèt ad medicam facultatem instinctu patris & raptu naturalis inclinationis animum suum applicaret, philosophiam tamen ducem & magistram in illo studiorum genere juxta summorum Medicorum Hippocratis & Galeni judicium verè agnovit. Præcipuam vero Mathesi, nobilissimæ philosophiæ parti, navavit operam, adeoq; assiduum & fidelem Dn. Licentiatum *Mauritio Steinmetz* Mathematicum temporis professori, viro per famam nunquam morturo, auditorem & discipulum se præbuit, ut præceptore fato defuncto, cum collegij philosophici, tum publici Consilij unanimi consensu, non sine maxima decrepiti parentis ad istos & alios filij honores reservati, lætitiâ, quam suâ quoq; præsentia, præfationem Rectore nostro lectionum inchoante, satis aperuit, successor designatus & autoritate *Serenissimi & Illustrissimi Electoris Augusti*, sacrae memoriæ, confirmatus fuerit, illiq; officio in hodie-

dier-

diernum usq; diem præest, non sine auditorum fructu, ad decus & ornamentum inclitæ Academiae. Cúmq; DEUM plura talenta, quàm unū sibi concedidisse, seq; majoribus quàm isti muneri soli sufficere posse deprehenderet, reliqua sepeliri, ac sine fructibus & usuris sub terrâ recondi noluit, sed omnes vires exeruit, seq; Scholis & Reipubl. in pluribus inservire posse manifestavit.

Disputationes quamplurimas cum magno scholasticæ juventutis applausu publicè habuit, primam *de Galaxia* seu viâ lacteâ, commemorabili meteoro, pro loco inter magistros obtinendo; alteram, similiter ex meteorologicis depromptam, *de Iride* seu arcu cælesti, anno millesimo, quingentesimo, octogesimo secundo ad vicesimum secundum Septembris, loco Dn. Decani *M. VValtheri* auspiciatò finivit. Subsequenti anno undecimo Iulij industria ipsius in perorando quoq; fatis superq; spectata est, dum *Illustrissimi ac Fortissimi Principis ac Herois eximij, Dn. Mauritiij Ducis Saxoniae*, & Septemviri potentissimi, memoriam anniversariam oratione elegantissimâ, de qua *Iohannis Rivij*, viri literatissimi & magni Oratoris, eóq; celeberrimum nomen consecuti, iudicium in scriptis exhiberi posset, in solenni conventu in æde Paulina celebravit, omniumq; oculos & aures quasi stupefactas in se convertit. In ista quoq; arte cùm specimen illud egregium edidisset, anno millesimo quingentesimo octogesimo quarto Mare ingressus *de fluxu & refluxu* illius capita quædã, cum aliquot problematis, itidem pro loco in inclita facultate Philosophica consequendo, disceptandum proposuit, & strenuè ac viriliter defendit. Biennio post cùm in illa facultate *Decani* munus & officium gereret, *Mathematicarum* disciplinarum Analysin ingenio-

B

fissimè

ssimè conscripsit, & partem priorem Dn. *Christiano Diestelmeiero* Iurium Consultissimo, *Illustrissimi Principis IOHANNIS GEORGI* Electoris Brandenburgici &c. Consiliario, avunculo suo amantissimo dedicavit & obtulit, & præter admirationem operis magnam nominis gloriam reportavit. Posteriori parti sequente anno extremam manum imposuit, loco Dn. *Andrea Doereri*, serenissimi Electoris Medici solertissimi, tum temporis Decani, propugnandam dedit, & fratris sui *Philippi* socero, Magnifico & amplissimo Viro Dn. *Guilhelmo Mollero*, *Ostfrisiae Cancellario*, *inclitæ Reipubl. Hamburgensis Syndico supremo & Comiti Palatino*, honoris ergò inscripsit, laudesq; suas per istarum etiam terrarum oras dilatavit. Nec unquam in hoc laudum curriculo sibi pedem figendum esse duxit, sed in astris famam suam terminare voluit, ad quæ rationis & artis suæ remigio evolavit, & duas orationes, alteram de *multiplici Astronomia* usu, quæ viri consultiss. Dn. D. *Andrea Goldbeccij*, paucos ante menses, non sine lachrimis nobis per mortem erepti, nomen in frontispicio gerit, alteram de *authorum in Astronomia delectu*, *Conrado Dasipodio* insigni Mathematico, Scholæ Argentinenfis lumini, dicatam, cuius, ut & *Iohannis Prætorij*, Althorpinæ Academiæ Mathematici præstantissimi, de iisdem iudicium extat integerrimum, maximâ cum solertiâ composuit.

Hisce ita laudabiliter perfectis, potiorem insuper temporis partem studio Medico impendit, tantosq; simul profectus fecit, ut anno millesimo quingentesimo nonagesimo primo, *Licentiam* in ista arte consequeretur, disputatione prius anno prægresso habitâ de *convulsione*, præside *Guilhelmo Romano* Philosophiæ & Medicinæ Doctore,

nunc

nunc Physico ordinario & Consule Reipubl. Numbur-
genfis amplissimo, affine meo semper amado. Eodem an-
no ad decimum septimum Calendas Novembris *fascēs &*
sceptra Academica eidem primū commissa sunt, & com-
mendatorem optimum Virum, Dn. D. *Zachariam Schilte-*
rum, quod suprà quoq; diximus, virtute suā promeruit, ea-
q; dexteritate rem nostrā administravit, ut jam præ cæte-
ris, qui in *Jubileo nostro* ad clavum Reipubl. Scholasticæ se-
deret, Dominis Electoribus dignus videretur, tum quoq;
ob negotium bene gestum & singularem industriam, in
eo deprehensam, aliā dignitate cumulatus, & inter *De-*
cem viros Collegij Paulini numeratus est. Postquam publi-
cum illud onus deposuisset, domi vacuus delitescere &
otio frui noluit, sed iterum in publicum prodijt, iter quo
ad summam dignitatem evectus est, impigrè absolvit, &
disputatione de *Phthisi seu Tabe* præmissā, *Doctoralia in-*
signia commeruit, quæ ipsi simul & artis Medicæ peritiā
clarissimis Viris, Dn. *Iohanni Steinmetzio*, in curandis
morbis postea felicissimo, & ante biennium defuncto,
nec non Dn. *Ioachimo Tanckio*, quem, proh dolor, non
sine lachrimis & magno facultatis nostræ detrimento,
ante decendium amisimus, ab amplissimo Medicorum
Collegio, promotoribus D. *Simone Scheubio* & D. *Georgio*
Mosbachio, Dn. *Ernesti Mosbachij*, Rectoris nostri consan-
gvinei & Reipubl. Lips. Iudicis dexterrimi & æquissimi,
parente, quibus, dum in vivis erant, nemo non lubens
meritōq; palmam offerebat, anno millesimo quingente-
simo nonagesimo secundo, die vigesimo sexto Septemb.
solenni ritu collata sunt. Quam Spartam ubi nactus erat,
eam quoq; omnibus modis ornare annixus est. Eapro-
pter disputationem de *mola* eruditissimam conscripsit,
B 2 suoq;

suoq; præsidio publicè ventilatam defendit, & eodem
confestim anno præmium hujus laboris reportavit, dum
in Collegium principum minus cooptatus fuit, ubi terti-
ùm præpositi munere jam fungitur. Eandem dignitatem
in tribus villis Academicis veteribus ante annum quoq;
obtinet, & inculpatè ad successoris clarissimi & consul-
tissimi viri Dn. *Michaëlis VVirthij* Junioris, I. V. D. ac Pro-
fessoris, & Iudicij Electoralis assessoris dignissimi, manus
tradidit.

Istam Rectoris nostri Magnifici industriam & eru-
ditionem omnimodam, cùm tota civitas deprædicaret,
eaq; amplissimo Senatui innotuisset, officio, quo ego me
non ita pridem abdicaveram, ipsum eodem anno præfe-
cit, & *Physicum* hujus Reipubl. nec non inspectorem No-
socomiorum & in eo successorem *D. Scheubij*, accedente,
ut moris est, consensu inclytæ facultatis Medicæ, esse vo-
luit. Quam provinciam nunc sedecim annos eâ diligen-
tiâ & fortunante Hygeiâ gerit, ut quamplurima corpora
sanitatem suam post DEVM illi acceptam referant. No-
runt & ad cælum usq; tollunt promptitudinem & huma-
nitatem nostri Magnifici ij, quos ante biennium & supe-
riori tempore abominabilis & horrenda ista lues conta-
giosa prostraverat. Novimus ipsi, quàm sollicitus sit, ne-
dum officium hoc impedimento est, ægrorum cura ne-
gligatur. Sed citiùs in has laudes diffunditur oratio mea,
quàm par est. Dicendum enim priùs erat, quid nam egre-
gium præter cæteros, ad hæc usq; tempora ab officij in-
gressu præstiterit; ac nostros quidem non latet, disputa-
tionum exercitia ipsum nunquam fugisse, sed ordine fla-
gitante, sui quod fuit muneris, è vestigio sibi in memori-
am revocasse. Alteram igitur ordinariam habuit de

præ-

præfocatione hysterica, Tertiam hæc brumâ habiturus, nisi officij ratio nunc obstaret & præter voluntatem in aliud tempus, quo suo juri redditus fuerit, conjicere cogeret. Lectiones Anatomicas, cùm ordine ferente, ipsi in diebus canicularibus more consveto demandarentur, intra menstruum illud spacium, quartum absolvit. Assiduitas ipsa & nunquam intermissa sedulitas, cùm omnibus probaretur, in primis Nobilissimum Iureconsultum D. *Franciscum Romanum*, affinem & compatrem meum colendum, tum temporis Rectorem Magnificum, permovit, ut ejus institutioni & curæ Illustrem ac generosum Principem ac Dominum, Dn. *Christophorum Radziwil Ducem Pizarum & de Dubinxis &c.* committeret, quem hujus informatoris non puduit, nec unquam poenitebit.

Edidit insuper *Meteorologiam* parentis sui charissimi, à se tamen laboriosè digestam & limatam. Emisit in lucem *Euclidis Optica & Catoptrica*. Magno quoq; studioforum emolumento *Analysin* quandam Arithmeticæ & Geometriæ tabulis succinctis & perspicuis comprehensam publicavit, omnia fidelis & curiosæ professionis monumenta, eaq; in uno functionis genere. In altero, publicum commodum contestante, non minorem adhibuit providentiam. Urbis enim hujus hospitij nostri bono ac salutem, *Regimen prophylacticum* Medicis dictum, cùm superioribus annis lues pestilens hoc oppidum affligeret, auctoritate amplissimi Senatus Lipsiensis in publicum emisit, hocq; auctum & recognitum ante biennium denuo evulgavit. Et quò singulis prospiceret, in usum paupertinæ plebis minori sumptu comparanda medicamenta singulatim indicavit, & ne quid deesset, prægnantibus mulieribus peculiarem tractatum, à quo de præservati-

one contra illud malum edoceri possent, præscripsit, & generatim talem se gessit in eo, ut ipsius diligentia in obeundo munere vocationis à nemine jure desiderari potuerit. Pestis etiam indicia propria, quibus scilicet quælibet genera ejus ritè discerni possint, quod à paucis antè notatum fuit, adhuc propediem imprimenda curabit.

Et hisce virtutibus ac probitati, ut aliàs perpetuò solet, comitem individuum se præbuit fortuna, ut non tantum, quæ humanus usus postulat, verum etiam omnium rerum affluentia obveniat. Liberos, ceu palmas olivarum, in casto & quieto thoro susceptos educet, & filiam moribus & formâ pulcherrimam clarissimo viro *Dn. D. Andrea Emmenio*, compatri meo charo, quem paucos ante menses Patria, ut ibidem Physicus Ordinarius esset, avocavit, in matrimonium collocavit, & quinque filios studijs liberalibus, alijsve honestis & ad vitam ac usum humanum necessarijs, partim jam deditos, partim deinceps ijsdem mancipandos, maximo cum gaudio conspiciat, etsi quinque aliorum obitu, ut & duorum fratrum *Philippi Philosophiae & I. U. Doctoris*, quondam *serenissimi Regis Daniae Consiliarij*, & *Reipubl. Hamburgensis Subsyndici*, post *Reverendissimi ac Illustrissimi Principis ac Domini, Domini Iohannis Adolphi, Ducis Holsatiae Vicecancellarij*, & tandem *consiliarij ac præsidis Husenæ*; & *M. Iohannis Theologiae Candidati*, ante biennium parvo intervallo defunctorum, maximoperè turbatus fuerit, & admodum nuper ex morte soceri *Friderici Løseri*, cui *DEVS* ætatem ad annum octogesimum secundum prorogaverat, & *Freibergæ Vrbe metallica Consulatu novies honorârat*, quod intra ducentos annos ipsi & alijs duobus saltem obtigisse ex
annalibus

annalibus istius urbis constat, luctum accepit, quem filioli obitus mœstis. dum socero exequias Freibergæ faceret, admodum auxit. Omnes tamen animi sollicitudines adeò concoquere & adversæ fortunæ insultus perferre potuit, ut ubiq; patientia & vera constantia eluxerint, adeòq; nihil fermè in Rectoris nostri perfectione desideremus.

Quæ cum ita sint, facilè jam intelligitis, Auditores omnium professionum atq; ordinum honoratissimi & ornatissimi, in hoc designando Rectore minimè aberrasse nostra judicia, consiliaq; : sed directa fuisse ad incrementum Reipub. nostræ literariæ, dignitatemq; ac decus Academiae, & omnino ad gubernationem huius semestris hyberni commodam, rebusq; communibus fructuosam & salutarem. Quod ergo reliquum est, vobis primùm, Academiae proceres honoratissimi, & spectatissimi, Rectorem legitimè designatum publicè totius universitatis nomine, majorum more, commendo, petoq; à vobis, ut in tam difficili administratione, hoc præsertim tempore, favore & benevolentia ipsum vestrà complectamini, studio consentiente tueamini, autoritate fulciatis, ac quasi armetis, deniq; fidei & observantiæ studio vero colatis & honoretis. Vos autem nobiles & studiosissimi juvenes, similiter publico nomine hortor, moneo, obtestorq;, ut vestrà obedientia ac morigeratione, quæ omnis felicitatis mater est, studioq; placidè & tranquillè vivendi allevetis Magnifico Rectori onus gubernationis gravissimum, quo intelligat ipsius magnificentia, eos sese habere jurisdictioni suæ suppositos, qui & pati possint se regi legum disciplinâ, & agnoscant propensionem veræ erga se benevolentia, & probitate ac tranquillitate vitæ

101
gravif.

gravissimas Reſtori moleſtias leviores tolerabilioreſq; reddere velint & ſtudeant.

Cumq; DEI clementiſſimi benignitate etiam altera centum annorum periodus jam completa ſit, quo tempore Academia hæc, alma ſapientiæ Mater & nutrix ſtudio- rum, optimis auſpicijs ante annos ducentos ex *Pragenſi* initium coepit; conſtitutione ejus publicatâ feriâ ſecun- dâ poſt primam dominicam adventûs Domini, horam circiter nonam, anno milleſimo quadringenteſimo nono, noſtri muneris eſt, quemq; ſuo loco & quantum cuiuſq; fert facultas, tam illuſtre, tam immenſum DEI benefi- cium grato animo agnoſcere & voce piâ ac jubilo inge- minato extollere & prædicare. Tibi, ergo, æterne, ve- re, ac vive DEUS Pater Domini noſtri IESU CHRISTI, conditor cœli & terræ & generis humani; unâ cum Filio tuo coæterno; & Spiritu ſancto gratias agimus toto pe- ctore, quòd tanto tempore Academiam hanc florentem eſſe volueris, ac contra varia pericula potenti tuâ dextrâ protexeris hætenus clementiſſimè: quòd lucem Evan- gelij tui, è tenebris ſuperioris ſæculi miniſterio magni *Lutheri* erutam & accenſam, inter nos conſervas in cor- ruptam: quòd ingenuis ſimul artibus ac diſciplinis ſuum nitorem aſſeris: quòd *Illuſtriſſimorum Principum Electo- rum Saxonie*, animum ita clementer regis, ut ad ornan- dam & amplificandam hanc ſcholam, nihil ſibi reliquum faciant: quòd deniq; *Doctores ipſos & præceptores* tuo Spi- ritu ſancto ita gubernas, ut munus docendi forti pectore aggrediantur ac ſuſtineant. Tuum, ô DEUS, hoc opus eſt, tuum munus. Te porrò ardentibus cordis gemitibus oramus, ut qui tantorum beneficiorum, quibus inde uſq; ab initio nos cumulas, dux es, eorundem conſumma- tor

tor quoq; esse velis. Tu hoc doctrinarum domicilium au-
gustissimum, atq; in eo veræ religionis, honestarumque
artium studia, per tertium etiam seculum, quod immensâ
tua bonitate ac misericordiâ modò in it, bono posterita-
tis, si qua futura est, clementer conserva, nec unquam nos
orphanos, in hoc furore diaboli & mundi tempestatibus
relinque. Defende ac protege *Serenissimum Principem*
CHRISTIANUM II. Electorem Saxonie, nutritorem no-
strû benignissimum, unâ cum conjugè *Regia*, cum *Matre*
serenissima & Fratribus Illustrissimis Ducibus Saxonie, *Dn.*
IOHANNES GEORGIO, *Academiae hujus Cancellario & cõ-*
servatore unico, & *Dn. AUGUSTO*, *Dominis nostris clemen-*
tissimis, eorum celsitudinem, Ô *DEUS*, omnibus tum ani-
mi tum corporis bonis magis ac magis locupleta, san-
ctoq; tuo præsidio quàm potentissime tuere, ut tuâ gra-
tiâ sub beneficentissimi hujus magistratûs tutelâ & præ-
sidio, diu otio hoc literato perfrui, operasq; nostras sin-
guli tam docentes, quàm discentes verâ pietate, animo-
rumque conjunctione obire & exequi possimus, largire
pacem & tranquillitatem his regionibus, reprime ra-
biem & insidias hostium Ecclesiæ, tolle aut mitiga cala-
mitates publicas & privatas: atque hæc omnia propter
nomen tuum sanctum fac, ut ipse tum in hac vita, tum fu-
turi seculi sempiternitate à nobis perpetuò celebreris,
nosque tuâ benignitate & pietate, & in hoc mortali
curriculo, & in illo beatæ immortalitatis
circo maximo, perfruamur.

D I X I.

C

Respon-



R E S P O N S I O

M A G N I F I C I D O M I N I
R E C T O R I S,

Præstito prius, pro more Academia, juramento.



Equè ita sum ἀφιλότιμος & prorsus abjecti humilisque animi, ut nullum me virtutum decus, nulla honorum dignitas & amplitudo moveat: neque ita rursus ineptus, ut mihi valde placeam, & ob delatos honores ambitiosè me efferam; quorum illud non careret reprehensione apud bonos sapientesque Viros; hoc verò odium etiam jure mereretur. Sed ita sum affectus, ut & optimorum quorumque judicia, & simul vim fortunæ reputem, ac quàm fragilia omninò & incerta, milleque casibus subiecta sint omnia cogitem? propterea mihi vel nihil, vel certè parum arrogem & tribuam. Itaque si negem, magnoperè gratam mihi jucundamque fuisse orationem, quam modò, honoris mei causâ habuit Vir Amplissimus & clarissimus *Domini Doctor Christophorus Bruno* in Majori Bessau, Medicæ facultatis Professor & Senior dignissimus, compater, Collega, fautor & amicus, inter optimos, præcipuus & honorandus, qui operam hanc inaugurandi me Rectorem ac commendandi pro more haud gravatim, pro sua singulari humanitate in se suscipere voluit, profectò parùm civilis, imò parùm candidus videar. Id sanè confiteri me oportet,

oportet, commendationem hanc eò gratiorem acceptio-
remque mihi fuisse, quòd profecta sit ab eo Viro, qui vo-
bis omnibus ratione doctrinæ & eruditionis est notissi-
mus, vitæq; integritate & laude virtutum spectatissimus,
& qui non ab alijs audita commemoravit, sed ea, quæ
ipsi & multis alijs satis cognita sunt & penitus explorata.
Nam quanta inter *parentes* piæ recordationis intercesse-
rit animorum conjunctio & familiaritas, grato animo
adhuc recordor: quanta autem inter nos à primo ferè
ætatis meæ flore, nemini est obscurum. Et certè pluri-
mum hac commendatione effecit Vir clarissimus, cum
apud studiosissimam juventutem (ut equidem opinor)
quam inde spero multò tranquillior fore & magis
obedientem, atq; morigeram, tum etiam apud me ipsum.
Fateor enim ingenuè, animum quasi ex hac oratione mi-
hi additum esse, ut eò alacrior ad capeſſendam Rempub.
hanc literariam subeundasque molestias, quæ in hoc re-
rum statu, & in tantâ temporum difficultate, objiciuntur
& crebræ & graves, jam deinceps videar mihi accessurus.
Multas fanè & magnas difficultates, multa impedimen-
ta in quavis gubernatione, quæ etiam placida & tran-
quilla admodum videtur, objici, qui aliquam negotio-
rum publicorum partem attingunt, re ipsa experiuntur
universi. Quàm multa enim quæſo accidunt prorsus
sæpè insperata & improvisa humanæ sapientiæ, ex qui-
bus extricare se nemo facile possit? Atque hæc inter-
dum adeò gravia sunt, ut qui in gubernatione sunt con-
stituti, sæpenumerò desperatione quadam existiment,
penitus esse abjiciendos remos & vela, & prorsus fugi-
endas hominum societates, omniumq; civilium officio-
rum administrationes. Vident enim se, dum optimè de

rebus communibus mereri volunt, nihil pro beneficijs aliud, quàm calumnias, odia, pericula sibi accerere, nihil propterea suis laboribus maximis aut parum admodum proficere. Hæc quidem cùm accidere in gubernationibus animadverteret magnus ille Philosophus Socrates, qui Apollinis oraculo, sapientissimus fuit iudicatus, ad Reipub. administrationem adhiberi se minimè passus est, atque ita professus exemplo fuit, & sententia, quod postea Epicuri de grege porci inter dogmata sua retulerunt: non esse nimirum partem civilium officiorum ullam attingendam. Et superioribus seculis, memoriâ patrum, Monachi, Epicureorum exemplum egregium, egregiè imitati, civilibus oneribus, nescio quo religionis prætextu, prorsus excussis, in sua se latibula, suam quietamq; vitam sine interpellationibus degentes, abdiderunt. Quid igitur agendum, cùm tantas, his maximè temporibus, in humana societate videamus esse rerum confusiones, tantam animorum dissensionem, accedente præsertim juventutis lascivâ petulantia ferè intolerabili. In claustrane propterea ignavorum fratrum exemplo cuticulæ curandæ causâ nos abdemus? Minimè verò. Nam cùm DEO OPTIMO MAXIMO ita visum sit, dabimus operam, ut quantum per ejus auxilium & gratiam licebit, nostro fungamur officio: Neque dubitabimus obsequentes & morigeros fore adolescentes studiosos, adductos præsertim gravissimâ admonitione Domini Commendatoris nostri Viri clarissimi. Atque ut nullum in hoc genere laborem, aut molestiam detrahetem, facit Academia ipsa mater mea dulcissima, imò etiam hæc patria mea, quæ me produxit in lucem, quæ in hunc usque temporis articulum me aluit, sustentavit, & hono-

honoribus dignitatibusque auxit & ornavit. Atq; hinc omnia, quaecunque hujus Academiae causâ, vicissim facere potero, libenter in me suscipio: nec quicquam difficultatum, laborum, periculorum, illius causâ defugere volo.

Quia autem nunc per D. O. M. gratiam immensam *secundum à fundata hac Academia seculum* declinare; & intra unius duntaxat septimanæ spacium, *initium novi & tertij seculi* appropinquare animadvertimus, utique nostrarum erit partium, ut maximas & immortales agamus gratias sempiterno DEO trino & uni, pro hoc præclarissimo, non dicam hujus civitatis tantum, sed totius regionis thesauro, quem per integros ducentos nunc annos, pro sua infinita bonitate salvam & incolumem conservare voluit. Et requirit ipsa pietas, ut pro felici auspicio novi & tertij hujus seculi, eundem præpotentem DEUM votis supplicibus imploremus, ut sua paternâ protectione & gratiâ divinâ in posterum quoque apud nos manere, nobisq; omnibus suæ gratiæ Spiritu adesse, denique discipulorum docentiumque studia & actiones dirigere velit, ad sui divini nominis gloriam sempiternam, Verbi Divini & bonarum artium conservationem & propugnationem, Ecclesiæ & Scholarum incrementum, & proximi utilitatem. Ad nos quod attinet, dabimus omnes ac singuli operam diligentem, ut nunc præsentem Academiae statum, si non meliorem, quod vix sperandum erit, in hac mundi ultima senectâ, attamen non deteriore, gratæ posteritati relinquamus. Verum ut hoc ita fiat, necesse est, ut & nos, cum *secundo* nunc ferè peracto, aut potius jam exeunte *seculo*, deponamus omnia, quæ impedimento esse possunt, quo minùs gubernatio commoda, aut studia felicia esse possint; & unâ cum novo

seculo, ac I V BILÆ O nostro, (non Mosaico, non Papi-
stico, ob quæstum superioribus seculis introducto, sed
verè Christiano, ad D. O. M. gloriam, & sempiternam
memoriam *Illustrissimorum Fundatorum & Conservatorum*
Almæ Vniversitatis nostræ unicè directo) novam etiam
vitam, novosque mores inchoemus, omniaque diriga-
mus ad utilitatem & dignitatem Academiae matris dul-
cissimæ. Necessè insuper est, ut illi, qui institutione, do-
ctrinâ, authoritate alijs præesse debent, bono & lauda-
bili exemplo ijs præluceant, concordiam omnis felici-
tatis humanæ matrem inter se omni studio alant, ac con-
servent, atque ut inter eos, benevolentiam & amore non
simulato & ficto, consociati sint animi; sit consiliorum
& actionum liberalis & candida apertaque communi-
catio; agat unusquisque suo loco sedulò & diligenter
id, quod scit sui muneris & officij esse, aliosque in officio
& statione sua non impediat, nec sese immisceat alijs re-
bus ad se non pertinentibus, nec simultatibus non neces-
sarijs occasionem præbeat; sed quantum potest, opis &
auxilij ad res communes afferat, nullius utilitatem, qua-
vis ratione intercipiat; denique omnia ad publicum
bonum summâ contentione dirigat. Quare naturæ no-
stræ nihil esse aut cogitari potest convenientius. Nam
ad hunc finem, linguam, aures, oculos, pedes & alias
denique corporis omnes partes idoneas & aptas à na-
turâ, providâ matre, accepimus. Et decet hoc imprimis
honoratissimum ordinem nostrum; Exigunt hoc à nobis
leges tam humanæ, quàm divinæ; flagitat pietas, requirit
id nostra in hac mortalitate infirmitas: docet & mon-
strat id ipsum digito quasi natura, quæ multas & illustres
imagines mutuae conjunctionis cum in cæteris rebus
varijs,

varijs, tum in corporibus nostris depinxit; ut quasi familiares & domesticos præceptores atque Magistros nobiscum semper circumferamus. Nam videmus nostrum corpus ex diversis humoribus, sanguine, bile & pituitâ constare; & tamen in illa diversitate humorum concordia & societas ubique conservatur, dum mirabili temperamento inter se commisti illi succi, incolumitatem, vigorem & salutem corporis tuentur. Cùm verò temperamentum hoc humorum perturbatum aliqua ex parte est, valetudo afficitur, morbiq̄ue vehementes & graves statim oriuntur, salus corporis periclitatur, membra denique omnia viribus & robore destituuntur. Ita nimirum cernimus omnem sanitatem contemperatione humorum contineri. Sed multò adhuc illustrius in membris exterioribus, quæ oculis cerni possunt, documentum fraternæ communicationis & concordia nobis proponitur. Hæc enim etsi diversa sint, tamen mirificam quandam inter se consensionem & societatem servant; & mutuas quodammodo inter se tradunt operas; alia alijs inserviunt, in commune omnia consulunt atque laborant; & hac consensione & mutua ope singularum partium vigor & integritas conservatur. Pedes universum corpus ferunt, quò est necesse. Oculi, tanquam speculatores in sublimi collocati, viam demonstrant. Manus laborant, cibum & potum ori admovent, dentes conterunt, ventriculus cibum acceptum coquit, & succum illum vitalem conficit, eumq̄ue tanquam bonus paterfamilias in singula membra dispensat & distribuit proportione Geometricâ. Sic fit, ut universum corpus rectè habeat, cùm omnia membra, & partes omnes conspirant & consentiunt in communem salutem. Ad eundem planè modum

dum etiam nobis, qui sumus unius corporis Academici membra diversa, faciendum est: si modò Academiam nobis concreditam fideique nostræ à maioribus nostris relictam, non deteriorem gratæ posteritati relinquere, sed (ut par est) salvam florentemque per manus quasi tradere nobis propositum est. Ad nobilissimam autem & studiosissimam juventutem non utar in præsentia cohortatione prolixâ, eò quòd hætenus, ab eo potissimum tempore, quo singulari DEI providentiâ (in cujus benignissima voluntate acquiescere volui) hæc amplissima longèq; dignissima gubernatio Scholastica mihi est commissa, visi mihi sint plerique placidè & modestè vitam agere, studiumque obsequendi communibus nostræ Academiae legibus non obscurè declarare. Quos universos & singulos propterea hortor & moneo, pro mea singulari erga ipsos affectione, ut quemadmodum hætenus fecerunt, non sine singulari bonorum præconio, ita in posterum quoque se morigeros & obedientes nobis præbeant, & nobiscum unà rei nostræ literariæ salutem, incolumitatem, & bonam existimationem pro viribus tueri & defendere studeant. Ita enim fiet, ut in summa felicitate non solum jucundam & dulcem, sed etiam Deo gratam & acceptam vitam agant; certâ cum spe consequendi veram laudem atque decus cum summa dignitate & splendore gloriæ conjunctum. Neque dubito, concordia & tranquillitatis publicæ amantes adolescentes, quibus *inclytæ Academiae* fama publica ac bona existimatio est cordi, faciliè admonitioni huic paternæ locum duros esse.

Quod verò restat, Viri Reverendi, Amplissimi, Clarissimi omniumque ordinum ac dignitatum præstantissimi,

tissimi, Domini, patroni, fautores & amici honorandi,
 Vestris reverendis & eximijs dignitatibus gratias tan-
 tas, quantas summa hæc vestra benevolentia meretur,
 habeo agoque. Nam me summo beneficio affectum
 agnosco, quòd præsentia suâ honorificâ hodiernam hanc
 festivitatem ornare voluerunt. Declarant sanè hæc in
 re, & propensam in nos voluntatem, & ostendunt Aca-
 demia nostræ dignitatem & existimationem sibi curæ
 esse. Pro quo humanitatis & eximiæ benevolentia
 officio, nos vicissim omnibus ac singulis hoc pollice-
 mur, nos daturos operam, ut id vicissim quocun-
 que officij genere poterimus, abundè, si
 occasio data fuerit, compen-
 semus.



D **MAGNI-**

M. R. B.




MAGNIFICO HUIC

Dn. RECTORI.

CHRISTIFER Ô MEURERE, *Academice Sceptri fer idem,*
Inter Elysterides conspiciende Deas,
Maxima laudandi laus est, laudari ei illi,
Qui per laudatos laudis honora capit.
Non magis ergo tuâ gaude de laude, quadrigis
Quam modò cœli volis fama superba vehit;
Quàm laudatricem Brunonis vivere Cliò,
In cuius laudes vix retinere manum est.
Nitereq; his alias laudes superaddere, rursus
Laudibus ut RECTOR condecorè re novis.
Et laudate tuo cum laudatore valetè,
Atq; valere alios efficitote bonos.

Gratulor Simon Malsius
I. U. D.



AD mores veteres duûm - Virorum,
Quâ Splendoris & eruditionis;
Ad priscam faciem duûm - Virorum,
Quâ Virtutis itemq; dignitatis
Par planè mihi: Sed tamen videntur
Certando satis æmuli. Professor
Est uterq; est uterq; Doctor artis
Crebrò morbisfuga, decusq; Hygæa
Summum, Lipsiacæ ille civitati
BRUNO presuit optimus medendo:

MEURE-

MEURERUS geminâ præest eidem
Urbi dexteritate, languidosq;
Hospites domui peculiari
Inditos reficit bonis medelis.

RECTOR ante biennium serenus
In cives placidos, sed & severus
In cives rabidos fuit, Camæna

BRUNO magna mea meaq; Hygæa
Prora & portio; subsequi favente

MEURERUS quoq; sorte gestit; imò
Nomen CHRISTOPHORO est utriq;. Quig;
Quod nunquam queat hicce prædicari,

Aut istis levibus nimis Phaleucis,
Habet, nec liceat tibi Secundo

Commendasse recente voce Sclo

Virum Magnificum atq; Iubilæo

Primo Magnificum Virum? Valet

„ Malè, qui malè vultis huic utriq;:

„ Verùm qui bene vultis huic utriq;

„ Aetatem bene perpetem Valet.

& salvete

à V. M. & A.

deditiss.

M. Valentino Hartungo
Lipsiensi, P. L.

F I N I S.



Z. 6733 A

Gelehrte

Die Kunst der Buchführung

von Johann Christoph Bach

M D C I X

Die Kunst der Buchführung
in der Buchführung

Die Kunst der Buchführung
in der Buchführung

Die Kunst der Buchführung
in der Buchführung

Die Kunst der Buchführung
in der Buchführung

Die Kunst der Buchführung
in der Buchführung

Die Kunst der Buchführung
in der Buchführung

15



AN. 259

In festiv

MAGN

CHR

Philosophia

D. Ch

Z c
6433

em

RIS

RI

*de epis
vita*

thema-

BIOTHE
KAVIA

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK
HALLE

X 2054836

